
B. N. C.
FIRENZE
1051
21



1 21

Digitized by Google

XXII
FEBER
1685
MISCELLANEE
1051
21

XXXIV

[illegible]

17

1051 21

A I



BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872
FLORENTINAE BIBLIOTHECAE

1051. 21

SYMBOLICA
EX
APOSTOLICIS DOGMATIBVS
THEOREMATA

Ex quatuor Magiſtri Sententiarum Libris
indiſcriminatim excerpta.

SVB AVSPICIIS

SERENISS., AC REVER. PRINCIPIS

LEOPOLDI
CARDINALIS MEDICES,

Ab Adm. Reuer. Patre Magiſtro

D. FRIDERICO FEDERIGHI A FLORENTIA

Doctore Theologo Vallumbroſano, & in Lyceo
Paſſinianenſi Sac Theol. & Phil. Profeſſore,

PRO ANNIVERSARIIS INFERIIS

THEOLOGORVM
ALMAE VNIVERSITATIS FLORENT.

IN ARCHIEPISCOPALI PALATIO
Publice defendenda die 23. Ianuarij *1668*.

Florentiæ, ex Typogr. S.M.D. Super. permiſſu, *1668*.

1051.21

SERENISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

LEOPOLDO

CARDINALI MEDICES.

CElſitudinem tuam (Sereniſsime Princeps) Symbolica hæc Theoremata petunt, vt à te vno mutuentur tutelam, immortalitatem aſsequantur. Prodeunt in lucem tuo condecorata Nomine, vt Tanti Principis Tutelari auſpicio munita, tenebras haud timeant. Nimis enim in LEOPOLDO MEDICEO *emicat Sapientiæ lumen; nimis Sereniſsimæ Proſapia, iam toto Orbe Ampliſsima, quæ tot Heroes, Tyaris, Purpuris, Infulis, Coronis, Sceptris vndequaque Conſpicuos progenuit, quot Viros, ſplendor effulget; nimis Sacræ Purpuræ fulgor coruſcat; nimis Religionis pietatiſq; candor elucet. Vt in vno* LEOPOLDO, *quæ per longam Progenitorũ ſeriem in* MEDICEAE FAMILIAE *innumeris pæne Heroibus, diſperſa fuere ornamenta virtutum, & dignitatum culmina, conueniſſe videantur, & Choream agere, vt ſit* LEOPOLDVS. *Gloria, & ſplendor eorum.*

Quas

Quas ergo, vbi tanta lux ſplendet, tenebras pertimeſcent, quas pauebunt vmbras? Ex Altiſsimis, & profundiſsimis Fidei Myſterijs ſunt eruta. Cui ergo Sacranda, quam Principi Religioſiſsimo? Cui vouenda, quam S. R. E. Senatori Purpurato? Cui dicanda, quam Heroi Sapientiſsimo? Cui tandem donanda, quam Litteratorum Mecenati? Non dedignaberis Princeps Generoſiſsime munuſculum, nam vt Sol omnium bono natus, inſpicendo ad minima, benefica non vileſcit dignitas, ſed amatur. Et quod ſeculis inauditum, in te conueniunt Maieſtas, & Amor. Viue ergo omnium votis diuturniſsime Princeps moribus, & dignitate Sereniſsime; cum in perenne deuotiſsima obſeruantia, & humillima ſeruitutis, hoc tibi deuouet monumentum.

Ser. & Reu. Celſitudinis tuæ

Obſequ., deuot., & humill. Seruus, & Subd.

D. Fridericus Federighi Mag. Vall.

Obie-

Obiectis in Contrarium Reſpondebit A. R. P. M. Fridericus Federighi qui ſupra.

Arguant S.T. Laureati ex Collegio.

A.R.P.M. Iulius Arrighetti Seruita Primarius Theologus Piſarum.

A.R.P.M. Cyrillus Grillanti Prouincialis Carmelitarum.

A.R.P.M. Io: Dominicus Leoni Dominicanus.

A.R.P.M. Franciſcus Maria Ricci Regens Camaldulenſis.

Quibuſcumq; Doctoribus Theologis, licet non de Collegio pro libito ius erit diſputandi.

I.E. Tyberius Abbas Petracci Vall. S.T.M, & Alma Vniu. Flor. Secret. in prop.

Credo in Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cæli, & Terræ.

CVius exiſtentia, quam Fides nos docet, poteſt & per effectus vi luminis naturalis euidenter attingi. *Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, ait Apoſtolus ad Rom. 1. Eſt autem Deus ens à ſe increatum, neceſſarium, ęternum, indefectibile, qui ideo à nullo dependet; cętera verò, quæ tum in Cęlis, tum in Terris ſunt ab ipſo, qui ideo Pater eſt omnium per creationem: quę tum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua omnia poſſibilia in ſe ipſo, & in ſe ipſis attingit: tum per voluntatem efficacem, cui omnia obediunt, & nihil reſiſtit: tum per omnipotentiam ab vtraque ratione diſtinctam, quæ nullis coarctatur terminis, initio temporis ex nihilo condidit, *qui vocat ea, quæ non ſunt tamquam ea, quæ ſunt*: eaque non ex indigentia, cum ſibi ſufficientiſſimus ſit, nulloque à ſe diſtincto indigeat, qui omnia eminenter præcontinet: ſed de mera perfectionis abundantia, qua ſe creaturis comunicat; adeoq; non ex neceſſitate, ſed liberè; & qui Deum ex neceſsitate operari arbitrantur, Dei naturam, & nomen ignorant, ſicut & qui plures multiplicant, omnes tollunt. Vnus eſt enim Deus purus, & ſimpliciſsimus actus, omnem potentialitatem excludens, omnemque diſtinctionem inter eſſentiam, & attributa, quę compoſitionem realem, aut formalem intrinſecam fundet. Immutabilis, qui ſemper eſt idem: Omnipotens, qui omnia poteſt quę non implicant: AEternus, qui nullam ſucceſsionem admittens, omne tempus traſcendit: Immenſus, qui exiſtens immobilis, vbique fulget: Omniſciens, cuius oculis omnia nuda ſunt, & aperta: Sapientiſsimus qui omnia ad ſuos fines fortiter, ſuauiterque diſponit, & dirigit: & tandem infinitus in omni genere perfectionis, qui eſt pura, & ſimpliciſsima perfectio.

Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum.

QVI genitus ab æterno à Patre per intellectum notionalem Diuinam eſſentiam, & omnia poſſibilia in ipſa exprimentem, Sapientiæ, & Verbi Patris nomine iure-meritò potitur: qui & ideo Filius quia eidem Patri in ſimilitudinem naturæ ex vi ſuæ originis formaliter procedit, adeoque vt Deus de Deo, & lumen de lumine, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Qui, & cum à Patre, qui totius Trinitatis principium eſt, & origo, omnia acceperit, præter eſſe Patrem, ſimul cum eodem in vnitate vnius principij, per voluntatem notionalem, tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam ſpirat: quæ ideo Spiritus eſt, non Verbum; Amor, non Filius; Donum, non Imago; Charitas, non Sapientia: nec ab illo diſtingueretur, ſi ab ipſo non procederet. Ineffabile ergo Sacræ Triadis myſterium, quod ſola Fides docet, non ratio, in eo conſiſtit vt vna, & eadem Diuina natura ſit tribus perſonis realiter inter ſe, virtualiter intrinſecè ab eadem diſtinctis, communis: quarum prima eſt Pater, qui à nullo procedit, ideoque ingenitus, & innaſcibilis: ſecunda Filius, qui à Patre eſt per intellectum, ideo genitus, & natus; Tertia Spiritus Sanctus, qui à Patre, & Filio per voluntatem procedit, ideo Spiritus, & Amor. Nec perindè maior eſt, aut prior Filio Pater, nec Spiritu Sancto Pater, & Filius; non enim datur inequalitas perfectionis, vbi datur communicatio omnium ſingulis: nec enim vllam perfectionem ſupra eſſentiam perſonalitates ipſæ important, ſed tres dumtaxat relatiuas ſubſiſtentias, in quibus Diuina natura ſubſiſtit ſimul cum abſoluta eidem eſſentiali, vtpote quæ eſt omnium perfectionum cumulus, & origo; adeoq; non ex indigentia in relatiuis ſubſiſtit, ſed ex mera perfectionis abundantia.

Qui

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

NAturam humanam, propriè operante tota Trinitate, cui communes ſunt omnes operationes ad extra, appropriante vero Spiritu Sancto, in ſingularitate vnius perſonæ aſſumens; Sic qui ab æterno genitus eſt à Patre, ab eodem miſſus, in tempore prodijt in mundum, genitus ex Virgine, factus homo: vt ipſe nos docuit per Euangeliſtam Ioannem c. 16. *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Qui ideo vnus non confuſione ſubſtantiæ, ſed vnitate perſonæ: humana namque natura propria, & poſitiua ſubſiſtentia carens, in perſona Diuini Verbi ſubſiſtit; eandem terminante ſecundum totum id quod importat in concreto; vnde & ad diuinam naturam immediatè terminata eſt hypoſtatica vnio, & non ad ſolam perſonalitatem Verbi; quę tamen in ſola humanitate tamquam in ſubiecto recipitur. Duas ergo in Chriſto Domino naturas fides agnoſcit, Diuinam vnam, humanam alteram ex anima rationali, & corpore, non phantaſtico, ſed reali compoſitam, quod etiam immediatè à Diuino Verbo, ſimul cum ſanguine, alijſque omnibus ad integritatem, & perfectionem naturæ ſpectantibus, eſt aſſumptum: duas, & ideo conſequenter voluntates, duas operationes, non vnam Thetrandicam: vnam tamen dumtaxat perſonam. Agnoſcit inſuper in eodem plenitudinem gratiæ, tum increatæ per vnionem ad Verbum, tum creatæ, eidem infuſæ cum cæteris donis ſupernaturalibus, ſecluſa tamen tum fide, tum ſpe: Item plenitudinem ſcientiæ tum beatæ, qua à primo creationis inſtanti omnia intuetur in Verbo; tū infuſæ, qua eadē extra Verbum attingit. Et quæ aſſumpta eſt à Diuino Verbo humana natura, ęque potuiſſet à Patre, & Spiritu Sancto, aut ſeorſim, aut ſimul, aut plures ab eadem perſona, aut loco humanæ Angelica, vel etiam irrationalis, aſſumi.

Paſſus ſub Pontio Pilato, Crucifixus, mortuus, & ſepultus.

VT omnes homines venientes in hunc mundum à peccato totius naturę,quod in Adam contraxerunt, per transfuſionem propriæ cuiuslibet voluntatis in voluntatem eiuſdẽ, tamquam in morale Caput totius generis humani; & à peccatis ſingulorum, redimeret. Inſufficientia quippe erant merita puræ creaturæ,et ſi in gratia conſtitutæ ad ſatisfaciendum de condigno, & ex rigore iuſtitiæ pro grauitate peccati, cuius tamen malitia finita eſt, non infinita. Pro qua ſuper abundanter, & ex perfecta iuſtitia, pro nobis mortem ſubeundo, ſatisfecit, cuius opera propter vnionem humanitatis ad Verbum erant infiniti valoris; *Sic vbi abundauit delictum ibi ſuperabundauit, & gratia*, ait Apoſtolus. Qui ideo mediator Dei, & hominum conſtitutus, propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, non deſcenſurus, nec carnem humanam ex vi præſentis decreti ſiue paſſibilem, ſiue impaſſibilem aſſumpturus, niſi ſananda eſſet natura humana, vnde exclamat per Ioannem cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat.* Qui & ideo libens mortem ſubijt, *qui oblatus eſt, quia ipſe voluit*, & libere præcepto Patris de ſubeunda morte, quod rigoroſum fuit, & in conſcientia obligans, vt eruitur ex ipſius verbis dictis Petro apud Ioann. 18. *Calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum?* obediuit; licet illi non obedire non potuiſſet, qui per vnionem hypoſtaticam erat incapax peccati; ſicque libens moriens,ſuo pretioſiſſimo ſanguine à peccatorum maculis nos emundauit, & à diaboli ſeruitute redemit.

Deſcendit ad Inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.

AD Limbum ſcilicet cum anima Diuinitati vnita, inde Sanctorum Patrum Senatum liberaturus, vbi tamquam in depoſito detinebantur in pœnam originalis peccati; expectantes beatam ſpem, & aduentum magni Dei, & redemptionem Iſrael; nec enim illis, & ſi in gratia conſtitutis Cęleſtis Ieruſalem patuit ianua, quam ſuo clauſerat Adam inobedientiæ peccato, quo ad vſque eandem per obedientiam reſerauerit illamque prius ingrederetur, qui Rex gloriæ, & caput prædeſtinatorum conſtitutus primus ab ęterno electus fuit ad gratiã, & gloriã iamquã exemplar, & cauſa prędeſtinationis omniũ, cuius meritis quilibet prædeſtinatus eſt, vt eruitur ex D. Paulo ad Roman. 8. *Nam quos præſcinit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui; vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus, &c.*. Et qui primus ianuam Regni Cœleſtis aperuit, primus, & glorioſus à mortuis reſurrexit, idem corpus, eumdemque ſanguinem, per vnionem ad animam reaſſumens, quibus, & hypoſtatice manſit vnitum Diuinum Verbum in triduo, quod numquam dimiſit, quod ſemel aſſumpſit. Sic qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam nobis reſurgendo reparauit, vt inde reſurrectionis illius participes eſſemus. *Si enim complantati facti ſumus ſimiles morti eius, ſimul reſurrectionis erimus,* ait Apoſtolus ad Rom. 6. Decebat enim vt primus ille vincula mortis disrumpet, quam per inobedientiam primus parens induxit in mundum, & mortalitatem indueret, qui per obedientiam, morte deuicta, vitam nobis contulit ſempiternam, vt inde conſtitutus primogenitus mortuorum eſſet cauſa, & exemplar reſurrectionis noſtrę. *Sicuti enim*, ait idem Apoſt. 1. ad Cor. 15. *per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita, & in Chriſto omnes viuificabuntur.*

Aſcen-

Aſcendit ad Cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

CVM corpore glorioſo, comitatus à Sanctorum Patrum Senatu, quos ex Limbo reduxit, & Angelicis Spiritibus eidem obuiam procedentibus: qui ſpirituales ſubſtantiæ ſunt, omnino incorporeæ, ſimplices, intellectuales, volitiuæ, & liberæ, non per potentias ab ipſis diſtinctas, bene tamen per actus, ab ijſdem elicitos medijs ſpeciebus intentionalibus, non ab obiectis, ſed à Deo acceptis. *Qui enim in miniſterium Spiritus miſſi ſunt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*: vnde ſingulis hominibus ſinguli ad cuſtodiam deputantur, maxime Filio Dei famulari debuerunt, cuius, & meritis perſeuerantiam in gratia pro ſecundo inſtanti, quam gratuito in primo acceperant à Deo ſunt boni aſſecuti, & per ipſam gloriam promeriti: à qua deciderũt mali in eodem ſecundo inſtanti, & ſi potuiſſent etiam in primo per peccatum ſuperbię ęqualitatem cum Dei Dominio inordinate appetentes. Et ſicuti ex quolibet ordine, quos nouẽ agnoſcimus, aliqui perſtiterunt, ita ex quolibet aliqui deciderũt quorum Anteſignanus fuit Lucifer, vel omniũ ſupremus, vel ex ſupremis, non enim implicat, quod dentur plures Angeli qui ſolo numero differãt. Boni ſtatim aſſecuti ſunt præmiũ, & in gratia confirmati: mali vero pęnã, nõ tamen omnes in Inferno detruſi, & in peccato obſtinati, hoc proueniente nõ ex inflexibilitate voluntatis eorũdẽ, ſed tum à ſtatu in quo reperiuntur tũ ex ſubrogatione diuinorũ auxiliorũ in pęnã peccati. Bonis ergo Spiritibus comitantibus Chriſtus Dominus Diuina vi, & virtute Animæ glorioſæ mouentis, ſuper omnes Cęlos, eoſdem penetrans, aſcendit: vbi ad dexteram Dei ſedet vt Deus corregnans cum ipſo, vt homo, cęteris beatior ſiue hominibus, ſiue Angelis. *Ad quem enim Angelorum aliquando dixit*, ait Apoſtolus ad Hæbr. 1. *Sede à dextris meis?*

Inde

Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.

IN forma humana glorioſa refulgens, *qui à Deo poteſtatem accepit iudicium facere, quia filius hominis eſt*: redditurus inde ſingulis ſiue premium, ſiue pœnã ſecundum vniuſcuiuſque opera. Qui enim ad Dei viſionem tamquam ad ſupernaturalem finem, ordinatus eſt homo non niſi per bona, & ſupernaturalia opera, liberè ab eodem elicita, diuina adiuuante gratia, quæ gratis confertur, ſiue efficax, ſiue inefficax ſit, ad eandem dirigi debuit, quam & de condigno meretur, ſi in habituali gratia ſit conſtitutus; ſicuti ex oppoſito per praua, & peccaminoſa opera à Regno Dei excluditur, & pęnæ æternæ reus efficitur. Bonitas autem, & malitia moralis, humanis operibus competens, ipſis extrinſeca, non eſſentialis, quæque formaliter in ſolis actibus internis reperitur; maximè ex obiecto motiuo, & formali deſumitur, per conformitatem ad dictamen rationis, quod eſt proxima, & immediata regula morum, quod ideo obligat & ſi erret, & à peccato excuſat ſi inuincibiliter erret: Vtraque in poſitiuo conſiſtit, licèt dari poſſit peccatum per puram liberam omiſſionẽ, & actus qui neque bonus, neque malus ſit. Non omnia opera bona ſunt eque perfecta, nec omnia peccata & ſi mortalia ęque grauia: quorum inæqualitas maximè deſumitur de inęqualitate virtutum, qui bus opponuntur, & ex his aliqua habent malitiam venialem dumtaxat, quæ ideo, nec gratia nos priuant, nec conſtituunt reos pęnæ æternæ. Pro inæqualitate ergo meritorum, aut demeritorum, erit & inæqualitas premij, aut pęnæ, quæ à ſupremo iudice ſingulis retribuentur in nouiſſimo die dum venerit iudicare viuos, & mortuos.

Credo in Spiritum Sanctum.

QVI cum Patre, & Filio vt verus Deus ſimul adoratur, & conglorificatur: qui & à Patre, & Filio, ſicuti ab æterno ad intra procedit, ita in tempore ſpecialiter ad creaturas per gratiam mittitur, cuius perinde eſt per appropriationem animas noſtras viuificare. Eſt autem gratia ſupernaturale Dei donum cuilibet creaturæ indebitum inherens animæ, conſtituenſque nos Dei filios adoptiuos, hæredes Regni Dei, & Diuinæ naturæ particeps, quæ nec realiter à charitate diſtinguitur, ſed dumtaxat formaliter, & naturalē incompoſſibilitaiē habet cum peccato, nō vero eſſentialē. Ipſam comitantur reliquę omnes virtutes ſupernaturales, quæ ideo ad illius intenſionem intenduntur, per addictionem gradus ad gradum, & cum eadem per quodcumque peccatum amittuntur, remanentibus dumtaxat Fide, & Spe, quæ non niſi per infidelitatem, aut deſperationem pereunt. Eſt autem fides ſperandarum rerum argumentum non apparentium, quæ Diuinę veracitati, & reuelationi tamquam obiecto formali adequato innititur: quæ ideo falli non poteſt, & vtpote obſcura pia affectione voluntatis indiget, non tamen per inde excludit conſortium actus euidentis, vel ſcientifici de eodem obiecto: requiritur ex neceſſitate medij ad ſalutē, & quidem explicita de Deo remuneratore: & quem Deum per fidem remuneratorem credimus, eundem per ſpem poſſidendum expectamus, vt bonum noſtrum per intuitiuam viſionem: qua accedente, tum fides, tum ſpes euacuabitur, remanente charitate, quæ numquam excidit, qua Deum ſuper omnia diligimus propter ſe ipſum, reliqua vero in ordine ad ipſum, & propter ipſum.

Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

Viſibilem, & militanté conflatam ex congregatione fidelium, eandem fidem Chriſti per extrinſeca ſigna profitentium: qui per characterem Baptiſmalem in eadem adſcripti, non niſi per hæreſim tamquam putrida membra ab eadé abſcinduntur, adeoque non iuſti dumtaxat,ſed etiã iniuſti ad ipſam pertinent; cuius inuiſibile Caput eſt Chriſtus Ieſus,viſibile vero Summus Pontifex Romanus D. Petri ſucceſſor,& eiuſdẽ Chriſti Domini Vicarius: ad quem ideo ſpectat controuerſias fidei vltimo determinare, & illius auctoritas ſupra Concilia etiam generalia extenditur; non enim quæ à Sacris Cõcilijs ſanciuntur habent infallibilitatem fidei, niſi Summi Pontificis accedat approbatio: Qui ideo in his, quæ pertinent ad fidem errare non poteſt, cui Spiritus Sanctus adſiſtit, vt eruitur ex verbis Chriſti habitis Petro, & ſucceſſoribus apud Matt. cap. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni Cælorum, &c.* Quæ poteſtas clauium Summo Pontifici collata, non extenditur, dumtaxat intra forum ſacramentalis pęnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſed etiam extra: ligat enim fulminando cenſuras, aut in Fideles, aut etiam hæreticos, qui quo ad hoc auctoritati Pontificis ſubduntur; quarum pręcipua Excomunicatio eſt, qua ſegregantur fideles à participatione Sacramentorũ,& communione Sanctorum,quę fit per participationem in meritis ſatisfactorijs Chriſti Domini, & aliorum Sanctorum per collationem indulgentiarum, quæ diſtribuuntur à Summo Pontifice Chriſtifidelibus in ſolutionem pęnę debitæ pro peccatis in Purgatorio. Quæ & infallibiliter conſequuntur ſuum effectũ, ſi adſint omnia, quæ ad validam earumdem ſuſceptionem exiguntur.

AVT per actum contritionis extra Sacramentum non formaliter iuſtificantem, nec de condigno eandem promerentem, ſed mera Dei diſpoſitione, & promiſſione: aut per actum attritionis ſupernaturalis cum ſuſceptione Sacramenti, aut Baptiſmi in adultis, aut Pęnitentiæ, quæ ideo Sacramenta mortuorum ſunt, vtpote quę primã gratiã cũ remiſſione peccatorũ cõferũt; quæ ſemel remiſſa numquam redeunt, reuiuiſcentibus tamen per pœnitentiam bonis, & ſupernaturalibus operibus in gratia elicitis, & per ſubſequens peccatum mortificatis. Baptiſmi nondum adulti, ſed etiam pueri capaces ſunt in remiſſionem originalis peccati: qui irreiterabilis eſt, vtpote characterem infundens, & miniſter neceſſitatis illius quilibet eſſe poteſt, aut fidelis, aut infidelis. Pœnitentiæ vero dumtaxat adulti, in remiſſionem peccatorum actualium habitualiter perſeuerantium, aut mortaliũ, quæ ſunt materia neceſſaria, aut venialium, quæ ſunt materia ſufficiens: Quæ ideo ſecunda tabula eſt poſt naufragium. Illius miniſter eſt ſolus Sacerdos habens poteſtatem, tum ordinis, tum iuriſdictionis, ſiue ordinariam, ſiue delegatã. Ad ipſam tenentur omnes fideles in mortali exiſtentes, qui & omnia peccata mortalia, tum quo ad ſpeciem, tum quo ad numerum clauibus ſubdere debent. Et horum remiſſio non habetur per ſolã cõdonationem extrinſecam, aut imputationẽ iuſtitiæ Chriſti, ſed per infuſionem ſupernaturalis gratiæ ex opere operato, & virtute Sacramenti, nõ phiſicè in illam influentis, ſed moraliter: Quod & proprium eſt omniũ Sacramentorũ nouæ legis, & ſi ex defectu diſpoſitionis ſuſcipiẽtis poſſint aliquãdo eſſe informia, per quod & diſcriminantur à Circumciſione, & cęteris Sacramẽtis veteris legis, ſi quæ erãt quæ nõ niſi ex opere operantis, in fide ſcilicet aut parentum, aut miniſtri iuſtificabant.

FVturam in nouiſſimo die vniuerſalis iudicij, cùm mortui omnes in ictu oculi, in momento, in nouiſſima tuba, ad vocem filij Dei. Surgite mortui: eadem corpora miniſterio Angelorum, eamdemque materiam ſaltem quo ad primordiales partes, imperfectionibus, & defectibus ſecluſis reſumentes, incorruptibiles, & immortales reſurgent in etatem plenitudinis Chriſti. *Oportet enim*, ait Apoſt. 1. ad Cor 15., *mortale hoc induere immortalitatem, & corruptibile hoc induere incorruptionem*. Sicq; omnes ante tribunal ſupremi Iudicis ſtabunt, ſingulis innoteſcentibus proprijs, & alienis operibus, aut bonis, aut malis: iuſtis in aera ſubleuatis, iniuſtis ad ima depreſſis, recepturis illis mercedem laborum illis verbis. *Venite benedicti Patris mei, poſsidete paratum vobis Regnum ab origine mundi*: iſtis demeritorum pœnam illis verbis. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratum eſt Diabolo, & Angelis eius*. Qui ſtatim in Inferno detrudentur, æterno permanſuri, & cruciandi, tum pœna damni, quæ in priuatione viſionis Dei conſiſtit, tum pœna ſenſus per ignem, qui verus, & realis eſt, & eiuſdem rationis cum noſtro, eoſdemque cruciabit per ſenſibilem torturam in corporibus; in Animabus vero per alligationem ad ipſum, qualiter & ab eodem cruciantur Demones, qui vtpote Spiritus incapaces ſunt ſenſibilis cruciatus, qui in corporibus cauſatur ab igne. Atque ideo veris, miris tamen modis eoſdem torquebit. Et quidem inęqualiter pro inæqualitatem apprehenſionis; omnes tamen æternaliter, nec vlla fiet diminutio p næ, vbi nullus eſt redemptionis locus, atque ideo peccata etiam venialia, ſimul cum mortalibus per pœnitentiam remiſſis quo ad culpam, non tamen quo ad totam pęnam, æterno ibi punientur.

Vitam æternam.

QVæ in clara, & intuitiua Dei viſione formaliter conſiſtit. *Hæc eſt enim vita æterna, vt videant Deum verum*, ad quam vtpote ſupernaturalē cuilibet creaturæ, tum exiſtenti, tum poſſibili, non datur appetitus innatus bene tamen elicitus. Videbunt omnes Beati Deum ſicuti eſt, attingendo diuinam eſſentiam ſimul cum omnibus attributis, tum abſolutis, tum relatiuis, non tamen cum omnibus virtualitatibus per reſpectū ad creaturas poſſibiles; & ſi in ordine ad potentiam Dei non repugnet viſio, quæ ſine compræhenſione eiuſdem ad omnia poſſibilia extendatur, aut quæ diuinam eſſentiā attingat ſine perſonis. Erunt inæquales Beatorum viſiones, tum ex parte obiecti, tum ex parte claritatis; alius enim alio clarius videbit, quæ inæqualitas commenſurabitur inæqualitati meritorum; orietur autem non ex inæqualitate perfectionis intellectus, ſed luminis dumtaxat ſupernaturaliter ipſum eleuantis per modum habitus, & ſimul cum eodem concurrentis per modum principij effectiui, eundem complentis, non vero per modum ſpeciei impreſſæ, quæ non datur, & ſi de poſſibili non implicet, tum ad vitalitatem, tum ad ſupernaturalitatem viſionis; cuius defectus æque bene ſuppleri poſſet per auxilium Dei pure extrinſecum. Viſionem ſubſequuntur amor, & gaudium ad integritatem beatitudinis ſpectantia, ad quæ ſubſequitur, & impotentia peccandi. Habebunt inſuper, & corpora glorioſa per ſupernaturales dotes, & laureolas, ſicuti & omnes ſenſus per aſſecutionem proportionati obiecti ſuo modo beari, vt iure merito dici poſſit cum D. Paulo. *Quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe.*

AMEN.

1051.21
Z
99 957785